



DEO OPTIMO MAX.



UNI ET TRINO.

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis 12. Novembris
M. DCC. XXXIX.

M. GEDEONE DE RABOURS,
Doctore Medico, Præside.

An, in Luë Venereâ, parciores & longiùs dissitæ Mercurii doses plenioribus crebrioribusque anteponendæ?

I.



LUES Venerea, priscis hominibus ignotum, nec ulli ante annum circiter 1493um visum, morbi genus ex Americâ in Italiam delatum est; symptomatum sævitiâ ferox, pertinaciâ difficile, origine turpe, similitudine cum aliis morbis fallax, veneni subtilitate contagiosum. Quod utinam, cæteris immunibus, dignum semper foret impuræ pariter & flagitiosæ Veneris stipendium! Sed

inſontes etiam laceſſit maligna morbi vis : quam à nutrice ad infantem, ab infante ad nutricem, quin, ab infectorum ſalivâ, ſudore, halitu, ad ſanos etiam aliquoties transfundi videas. Ab iis tamen ferè partibus ſui notas venenum præbet quibus admiſſum eſt. Si itaque ab immundo (quod familiarius eſt) concubitu trahat originem, his ferè præludit principiis. Fœmina maſve fuerit, ex genitalibus ſtillat, dilutiùs modò, modò ſaturiùs (pro maligniore vel benigniore morbi genio) vireſcens aut flaveſcens humor : quòque pejor ipſius indoles, eò major, poſt mictum imprimis, imæ urethræ ardor, & in viris, noctu præcipuè, moleſtior tentigo cum eodem doloris ſenſu ac ſi violenter contorqueretur coles aut funiculo conſtringeretur. Apparent in balano aut præputio ulcuſcula, in convexa glandis lentiùs, in coronam & fræni viciniam celeriùs ſerpentia : quæ majora pudendorum labia internè, minora utrobique, vaginam atque os uteri internum, in fœminis, afficiunt. Hæc in utroque ſexu, dùm recentia ſunt, ejuſdem planè ſpeciei diceres ac ſi cutis ungue deraſa foret, niſi quòd figuram quandoque circularem exhibent, atque ſanie madent lentâ, lividâ, fætente, ex luteo-viridi. Eſt etiam ubi protuberent inguinum glandulæ, atque tùm ipſæ, tùm circumjectus adeps in bubones attollantur, qui modò reſolutione, vel ſponte, vel artis operâ, modò ſuppuratione, ſed tardâ & difficili terminantur. Hi verò ſi naturaliter retroceſſerint, vel *gonorrhœa* aut ulcuſcula diutiùs (contemtis auxiliis) permanſerint, luës ipſa ſolet ſuccedere, quæ uti non omnibus ſemper, ſed uno tantùm horum prægreſſis, ita rariſſimè per ſe oritur. Quoquô autem modô id accidat, pululant in ano, glande, præputio, tumores, quos, pro figuræ vel magnitudinis ratione, porros, verrucas, mora, cryſtas, condylomata, ficos nuncupavêre. Puſtulis rotundis, ſubflavis, viſcido quidem at pauciſſimo humore turgidulis aſperatur corpus, earum familior ſedes in fronte, pectore, temporibus, dorſo, femoribus internis. Quæ priùs ortæ ſunt paucis diebus abſcedunt in cruſtas *furfuraceas*, novæque iterùm in viciniâ effloreſcunt. Denſa quandoque, pro puſtulis, & tenuiſſima pululat ſcabies, aut cutem deturpat *herpes*, à vulgari non aliter diſſimilis, quàm quòd iiſdem remediis non cedat, &, lapſu temporis, in ſordidum ulcus, latiùs quàm profundiùs ſerpens, quandoque degeneret. Oris interna, fauces, laryngem, uvulam, tonſillas exedunt peſſimi moris ulcera. Variis corporis locis, inguinibus putà, axillis, pone aures, ſub maxillâ inferiore, glandulæ intumeſcunt, quæ niſi detumuerint, vetuſtate in ſcirrhos primùm, deindè in cancros, abeunt. Calvariam, reliqua oſſa, perioſteum, medullas ipſas, præprimis articulos, infeſtat, interdiù mitior, noctu

acerbiſſimus dolor. In tumores inæquales, dolorificos, oſſa, maximè capitis & tibiarum, attolluntur, non rarâ *ankyloſi* coëunt articuli, carie ſic putreſcunt oſſa, ut leviſſimâ de cauſâ frangantur. Capite tandem defluere capilli, ſedibus ſuis commoti dentes decidere, facies denique & corpus univerſum exortis & productis undequàque ulceribus horrendum in modum deformari. Adſtantibus interim ſibique ipſi vix ferendum odorem ſpirat æger, & miſerrimam tandem ærumnas inter & cruciatus vitam exhalat. Febris plerumque abeſt, niſi fortè (quòd aliquoties occurrit) ſpuriæ intermittentis vel *phthiſeos* habitum morbus induat. Sunt plures etiam alii, ſub quorum larvâ ſe prodat, affectus, quos hic recenſere ſupervacaneum. Liquida primùm in hoc morbo infici, ac deindè ſolidis partibus vitium communicari apud omnes Medicos convenit. At quæ ſit *miaſmatis* indoles, *alkaliniſ*ne an acidis ſalibus, an verò certâ utrorumque proportione conſtet, veluti graviſſimi momenti res ageretur, ſeriò à nonnullis diſceptatum eſt. Id profectò agitent ii quibus aut otium non deſit, aut tantùm in proprio ingenio fiduciæ ſit, ut nihil tam abſtruſum reperiatur, quod ſolertiâ ſuâ retegi non poſſe exiſtiment. Rectè abundèque (pro uſu Medico) de venereo *miaſmate* judicabit, qui ejus indolem ex effectibus ſimpliciter deducet. Illud itaque ex eroſione partium mordicans, ex contagii facilitate & penetrandi vi ſubtile, ex tardo morbi decurſu lentum, non temerè affirmaveris. Optimam verò ægrotis medicinam facies qui, lato eâdem ratione de remedii viribus judicio, ipſum ad ſingulorum temperamentum & morbi magnitudinem moderabere. Hoc igitur conſequi ſtudes? Inter varias quæ hactenùs uſu receptæ ſunt adhibendi mercurii methodos, eam elige per quam, curationis decurſu, quaſi inſenſilem corpori mutationem inferas, nimis celerem vites.

II.

PROMPTIOREM acuti morbi medicinam expetunt; nonniſi lentam chronici patiuntur. Quâ ratione ſolidæ liquidæve corporis partes à ſtatu naturali deflexerunt, eâdem ſunt reducendæ. Non aliam medendi normam videtur indigitaſſe rerum fabricator, dum anni tempora ità conjunxit, ne extremas ſtatim mutationes corpora paterentur. Hyemem inter & æſtatem medias duas, ver nempè & autumnum tempeſtates interpoſuit, quæ declivem facerent ad oppoſitos cœli ſtatus prolapſum, quâ diſpoſitione proviſum eſt ne calori ſummo ſuccedens frigus aſperum, rarefactum ſanguinem ſtatim conſtiparet, neve ſummus calor brumale frigus excipiens, eumdem denſatum ad vaſorum uſque crepaturam dilataret. Duo

verò arguere hinc licet, 1°. quantùm à subitis oppositisque rerum effectibus œconomiæ animali impendeat periculi, deindè quàm securus sit ad opposita, modò sit insensilis, transitus. Utriusque evidentius exemplum desideras? Inflammatum uterum cum eodem gravido confer. Ubi inflammatur, sanguinis rubra pars, copiâ solito majore in arteriarum, tùm sanguinearum, tùm etiam *lymphaticarum* extrema, pulsa, si non absolutè stagnat, saltem insigniter relentescit. Morbum hunc sequitur partis rubor, tensio, dolor, durities, augmentum. Uterum nunc maturo fœtu gravidum considera. Omnia ibidem, prout in inflammatione, præter dolorem, similia deprehendes. Imò tunc multò majore sanguinis copiâ intumescit quàm si gravissimâ, quæ tamen omninò abest, inflammatione tentaretur. Undè igitur adeò diversi effectus? A lentiore vel celeriore sanguinis in partem appulsu. Placidè nimirùm in graviditate ad uterum allabitur, undè paulatim cedunt vasa atque ampliantur; in inflammatione confertim irruit, undè molestè distenduntur. Ratione non absimili, remedii ejusdem, prout variè usurpatur, adeò contrarii sunt effectus, ut salutem alteri, alteri necem inferat. Posset itaque *ictericus* aliquis, quam chalybis quantitatem in menses plurimos cum fructu potest absumere, eamdem intrà paucos dies sine noxâ sustinere? Posset *pleuriticus*, quam partitis vicibus sanguinis per sectam venam effusi jacturam utiliter facit, eamdem unâ vice sine vitæ dispendio facere? Id sanè nemo Medicus crediderit. Largissimâ & subitaneâ sanguinis profusione idcircò collabascunt vasa, quia eâ celeritate constringi nequeunt, quâ fuerunt inanita. Hinc debilis aut ferè nulla cordis arteriarumque in sanguinem actio, corporis languor, lipothymia. Illæso contrà cordis motu liquorumque circulo, sanguis liberaliter (modò interpolatis vicibus id fiat) profundi potest. Hoc pacto gradatim arctantur vasa, atque ità se recipiunt, ut conclusum intrà se cruorem liberè propellant. En quanti in acutis (ut ut vehementibus & promptis auxiliis indigeant) ea ità moderari referat, ne nimis subitò corpus immutent. Hanc verò medentis prudentiam quantò potiori jure sibi vindicant ii affectus quorum decursus diuturnior, si præsertim usurpentur medicamina quæ maximâ *energiâ* polleant.

I I I.

HUJUS sanè generis est Luis Venereæ profligator Hydrargyrus. Substantia est metallica, fluida, tactu frigida, saporis odorisque nullius, splendoris argentei, metallis omnibus, si aurum exceperis, ponderosior. Ignis vi dispersus facilè avolat; sed quàmcunque dividantur ejus partes, globorum semper figuram retinent,

qui anguftiffimos corporis meatus facilè fubeünt. Cujus fit in fanandâ fyphilide præftantiæ nemini non notum eft; at quomodo agat in virus id planè ignoratur. Miram ejus potentiam, ab *alkalinâ* vel acidâ quam huic medicamento quidam tribuunt indole, deducere, æquè à ratione alienum. Si enim *alkalinis* conftaret partibus, venenum non deftrueret quod *alkalinum* effe potiùs argueret conciliata ab infectorum falivâ, fyrupo violaceo viriditas. Ipfum acidâ qualitate agere non faciliùs probaveris, cùm, *alkalinis* falibus permixtus, nequaquam fermentefcat. Hujufmodi difquifitiones funt agitatu planè inutiles. Sed ut à mercurio prudenter adhibito optima præftari Medicum fcire refert, ità ab ipfo parùm cautè applicato funeftiffima fymptomata excitari, non ignorari neceffarium eft. Hæc ex mercurialium globorum tenuitate, pondere, figurâ, poteft deducere quivis Phyficarum rerum non rudis. Non una ipfius intromittendi ratio, quarum unam alteri præftare, cave generaliter affignes; fingulæ enim fingulis, pro re natâ, funt anteponendæ. Modò per cutis poros fub unguenti fpecie, modò per os pulveratus aut liquore aliquo fufpenfus mercurius, tandem in vaporem ignis ope refolutus per pulmonem aut corporis habitum infinuatur. Quoquô modô corpus fubeat, per exiliffima venarum oftia recepti globuli, torrente fanguinis abrepti ad cor deferuntur, ad extremas ufque arterias propellendi. At celeritatis gradum recipiunt eò majorem, quò gravioris funt, fub exiguâ mole, ponderis, ideòque facilem fibi viam patefaciunt, quia tenuiffimi, *fphærici*, læviffimique funt. Ex his facilè intelliges globorum affrictu intendi folidorum motum, pondere & motu rapido, fanguinem & lympham attenuari, impulfionifque vi & velocitate extremarum arteriarum oftia referari. Per varia igitur corporis emunctoria lympha profluit, modò per cutis poros, modò per inteftina, renes, aut falivæ ductus, quod familiariffimum, in hoc cafu, purgationis genus eft. Ex his alterationem patitur corpus, quam lentiorem levioremve facient quæ parcâ manu & longioribus intervallis diftribuuntur, celeriorem verò nimiamque pleniores, quas vulgò folent adhibere, & crebriores mercurii dofes.

I V.

DELATI ad cor mercuriales globi, truncum aortæ primùm, deindè ejus ramos & ramufculos, exiliffimaque tandem vafcula eâ proportione fubeünt, ut amplioribus furculis, plures, pauciores arctioribus admittantur. Tanta autem efto vaforum capillarium exilitas, tantula verò primâ vice intromiffi mercurii quantitas,

ut, factâ diſtributione, globum unicum, nec ampliùs, ſingula capillamenta receperint. Globi illi paulatim, ab inſtante ſanguine, & placidè ad varia corporis emunctoria, renes putà, inteſtina, cutis poros, aut oris glandulas propellentur. Alterationem intereà minimam ac ferè inſenſilem tùm canaliculi, tùm contenti in ipſis humores patientur. Id novi ſolùm eveniet, ut & ſanguis leviter dividatur & vaſculorum orificia mediocriter dilatentur. Sic præparatâ viâ, poſt convenientia temporis intervalla, aliæ doſes facilè poterunt admitti, mercurioque, vel per cutis poros, vel promiſcuè cum cæteris excretionibus abrepto, paulatim venenatus humor domabitur. At ſi quid in excretionibus ſenſibilibus augeatur, commodè ſecurèque feret æger, adeò benignè moderatèque id fiet. Tamdiù verò, ſine noxâ, continuari poterit mercurii uſus, quamdiù morbi pertinacia poſtulare videbitur. Audi nunc quàm metuenda ſit nimis larga & frequens hydrargyroſis. Plurimi, ubi ea in uſum vocatur, mercuriales globi in ſingula capillamenta diſtribuuntur, qui, à pone ſequentibus liquoribus indeſinenter preſſi, eò faciliùs intricantur, quò exitum, propter numerum cum vaſculorum anguſtiis non congruentem, difficiliorem reperiunt. Turmatim progredi geſtientibus valdè obſtant ad fines uſque remotiſſimos gracileſcentes canaliculi. Ulteriùs ergò meare cùm nequeant, hærent, undè obſtructio primùm, deindè inflammatio naſcitur. Accensâ itaque febre magis ac magis percutiuntur globi, vaſcula tandem (quæ aliàs blandè dilatarentur) dilaniari neceſſum eſt, perque eas portas ſanguinem erumpere, per quas lympha ſolummodò foret eruptura. Si præ aliis partibus caput impetat mercurius, fit ſanguinis intrà calvariam effuſio, undè lethales apoplexiæ epilepticique inſultus, ſi pulmonem, ſanguinis ſputatio, ſi ſtomachum, ejuſdem vomitus, ſi inteſtina, ſanguinolenta diarrhœa, ſi veſicam aut renes, ſanguinis mictus. Nec *hæmorrhagia* ſolum periculi genus eſt, quod indè pertimeſcas. Sæpè, integris vaſculis, ità incuneatur, ut membranas dolorificè diſtrahat, prætereuntibus liquoribus ponat obices, ſpirituum animalium curſum (compreſſis nervis) intercipiat, partes ubique gravet. *Cephalæam* itaque, deſipientiam quandoque, cæcitatem, lethargum, pectoris ſuffocationem, anxietatem, *anorexiam*, tormina, *dyſuriam*, artuum tremores, *paralyſim* & infinita hujus generis mala excitat. Eſto tamen, licèt magnâ copiâ intromiſſus nulla ex his invehat; at res eſt in eâ methodo optatiſſima, ut diſruptis undique ſalivæ rivis, operoſiſſimum crudeliſſimumque purgationis genus, ſalivatio oboriatur, quo, nonniſi vi tormentorum periculorumque pretio, defungi liceat; hujus initium, ſtatum, declinationem undique circumveniunt in-

commoda; adventurum prægreditur palati, gutturis, tonsillarum, gingivarum, faciei, at linguæ maximè, quæ sæpè ore vix contineri potest, dolorificus tumor; præsentem comitant immunda fœdissimaque oris ulcera, penè præpedita deglutitio, & crudelis, propter uberem salivæ manantis copiam, vigiliæ perpetuæ necessitas; absolutam tandem consequitur summa virium imbecillitas, & hecticorum similis marcor. Quid quod adeò pertinax quandoque contingit salivæ fluxus, ut, cùm arte nullâ cohiberi possit, pertinaci jacturâ debilitati ægrotantes contabescant.

V.

PLENIORUM crebriorumque mercurii dosium ideò laus est apud plurimos, quia uberrimo quem provocant salivæ fluxu virus abripi, infectamque totius corporis lympham cum novâ & puriore commutari credunt. Apage qui ità sentiunt! Adeò non in abnormi illo lymphæ dispendio consistit curationis perfectio atque securitas, ut, vel post uberrimam salivationem, permulti, lymphâ propemodùm exhausti, veneni labem nequaquam eluerint. Imò nulla in morbi curatione pejoris ominis res est, quàm salivam abundè ab initio prodire; promiscuè enim cum ipsâ, veneno intacto, mercurius effluit, cujus usum continuari vetat copiosior *ptyalismus*. Quominùs tandem existimes largam hujusmodi evacuationem esse necessariam, vide quàm paucâ excretione sensibili prodeunte, solâ mercurii appositione, ulcuscula venerea dissipentur. Vide quàm fœliciter, per extinctionem, quod aiunt, morbus radicitùs à quibusdam Medicis tractetur. Per alvum tamen, vesicam, cutem, oris glandulas, solitò plùs humoris excerni, modò id salvis ægri viribus fiat, non improbamus, quinimò valdè utile judicamus. Qui enim lentè admodùm (sub cœlo præsertim frigidiore) per solam transpirationem difflaretur mercurius, citiùs faciliùsque, auctis paulisper cæteris excretionibus, è corpore abscedit. Hanc verò curandi rationem longiorem esse clamitent, plenioris crebriorisque *hydrargyroseos* fautores, modò tutiorem fateantur & commodiorem. Quosdam incassùm sic tractatos à morbo non convalescere frustrà objicient, cùm suæ methodi vitium idem sit. At at nostram in eo præstare certum est, quòd in eâ nulli unquam, in alterâ permulti fato rapiantur. Neque si suam (quod tamen haudquaquam concedimus) tametsi periculosam, esse aliquandò efficaciorem contenderint, ideò primùm sequendam esse assentiemur. Nostra nihilominùs tutiùs etiam præiret, quæ si fortè foret irrita, quidni aliâ deinceps viâ insisteretur? Sunt equidem, nec diffitemur, qui etiam copiosè singulisque diebus adhibito mercurio, vix commoveantur.

At modicam alii quantitatem ſuſtinere non poſſunt, quin plurima aut aliqua ſaltem ex iis quæ memoravimus ſymptomata experiantur. Diverſa autem illa hominum ad mercurii vim diſpoſitio, cùm ex ægrorum pulſu, facie, cæteriſque aliis ſignis exterioribus, ne oculatiſſimis quidem exercitatiſſimiſque Medicis dignoſci queat, quænam erit exhibendi mercurii tutior methodus quàm ea, cujus ope ſingulorum vires, ſine periculo poſſis tentare? Hoc porrò (præter alia permulta) in noſtrâ eſt commodi, ut ex leviuſculâ doſi tutò judicare poſſis, an altera augeri vel imminui vel differri debeat, tertiæ quantitatem & ſpatium ſecunda indicat, quartæ tertia, & ſic de cæteris. Largiorum verò doſium, cùm ſubitanea ſint & prompta, pericula nuſquam prævidebis.

Ergò, in Lue Venereâ, parciores & longiùs diſſitæ Mercurii doſes plenioribus crebrioribuſque anteponendæ.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Carolus Dionis.	*M. Joannes Midy.*	*M. Joannes Herment, Medicus Regis ordinarius.*
M. Gedeon de Rabours, actûs Præſes.	*M. Joannes-Jacobus Belleteſte.*	*M. Jacobus Fourneau.*
M. Laurentius Ferret.	*M. Thomas-Renatus Gaſnier.*	*M. Raymundus-Jacob Finot.*

Proponebat Pariſiis, JOAN. LUDOVIC. BAUDE DE LA CLOY, Audomareus, Baccalaureus Medicus, A.R.S.H, 1739. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1739.